Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2121

Quelle:
Copyright:

Corpore ſuo et Proximo. Caret titulo, ſed in *Auguſtini L. I. de Doctrina Chriſt.* Edit. *Maur. Pariſ.* T. III. P. 1. *col.* 11. invenies. Incipit: *Quisquis ergo recte diligit proximum* &c. Finit: *colligatius adherere potuerit*, eſtque eleganti cumprimis manu exaratus.

IX. *fol.* 30. *Incipit Ammonitio Ceſarii Epiſcopi De Pernitioſa Familiaritate Seu Conſeruanda Uirginitate.* In *Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 862. inſcribitur: *Epiſtola ad quosdam Germanos*; T. vero XXVII. p. 348. ex *Append. Cod. Regular. Lucae Holſtenii* melius Exemplar nacti rurſum producitur hoc rubro: *Caeſariae ſanctae Sorori Abbatiſſae* (Coenobii *Arelate* a *Caeſario* circa an. 512. perfecti) *vel omni congregationi ſuae in Chriſto aeternam ſalutem.* Itaque pronum eſt, ut imperitus aliquis Librarius ex hac Sorore ſive *Germana* ſuperiorem illum Titulum *ad Germanos* effingeret. Sed et in *Codice* noſtro ad *Viros* directa eſt; incipit enim: *Uenerabiles in chriſto filii* (Filiae) *uereor ne dum uobis pro conſeruanda quiete uel pudicitia* &c. Hiatus ille, cui in editione T. VIII. abſone adtexta eſt Pars *Sermonis de decem Virginibus* p. 865. quique in edit. T. XXVII. p. 550. rite expletus eſt, a Noſtro pariter abeſt, ſed inter verba: *a uobis ſemper excludite* et: *Currite fideliter* &c. inepte nobis intruditur plus quam 17. *linear.* locus de expoliatione Monachorum hoc initio: *Nam Monachus qui in monaſterio peculiarem* (peculium?) *habere uoluerit* &c. et hoc fine: *nos intrare in regnum dei.* Atque haec lacinia fortaſſis ſcribis anſam dederit, genus femininum in maſculinum convertendi. Ceterum Codicem hunc ob lectionis varietatem non praetereat, qui vota Eruditorum de habendo integro et ſincero *Caeſario* olim impleturus eſt.

X. *fol.* 33. p. 2. *Albinus Aquile Salutem. Aquila* hic, ut jam ſupra N. I. notavi, *Arno* eſt primus *Salisburgenſium* Archiepiſcopus evangelica per *Pannoniam* praedicatione celeber, gente *Saxo*, aut *Bojus*, non *Anglus*, atque adeo nec *Alcuini*, ut quibusdam viſum, frater. Epiſtolam hanc *de Natura et Perſonis Divinis*, quae inchoat: *Miror quomodo me ſub unius momenti* &c. ex hoc ipſo Codice a Viro doctae in paucis ſolertiae *Matthia Rieberero* olim S. J. erutam inter *Alcuinianas* ordine CXXII. fecit Celſ. Frobenius edit. *ſuprac.* p. 176.

XI. *fol.* 34. Excerpta varia ex diverſis Patrum, praecipue *Auguſtini* et *Gregorii M.* Operibus, quae cum et brevia ſint, et ut plurimum ἀνεπιγραφα, ſingulis ſpeciatim adſignandis tempus inſumere noluimus. Lectionem interim variam ſi quis cum editis contendere ea vellet, non defore putamus.

XII. *fol.* 59. Epiſtola *Anonymi* ad *Anonymum* ſequentis tenoris: *Humanę referunt littere. philoſophum*